
300
F 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

7
KW 300
F18

ORATIO

In laudem

MULIERIS

Quod eâ nihil fortius detur.



HARLEMI,

Typographiæ genitricis, *Ex officina* Vincentij Caſteleynij, CIↃ IↃC L.

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Ampliſſimis, Doctiſſimiſque

V.V. D.D. CVRATORIBVS,

Cæteriſque inclytæ Harlemenſium Scholæ Moderatoribus.

VT ET

Reverendis, pietate ac eruditione conſpicuis viris,

D. PETRO ROILANDO,

D. RVARDO CLERCQVIO,

Myſteriorum Dei in Eccleſia Purmerendanæ diſpenſatoribus fideliſſimis, amicis meis integerrimis.

Haſce ſtudiorum meorum primitias ſubmiſſe offero

HUBERTUS BEETS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

ORATIO

In laudem

MVLIERIS

Quod eâ nihil fortius detur.

NOn fugit me (Aud: Hum:) quam grave & moleſtum ſit in publico literarum ſacrario diverſam diſcrepantemque a cęteris tueri ſententiam, & devias aliorum opiniones, ſpecie recti non vulgari aliquorum cum applauſu exceptas argumentis convellere; repugnare talibus vitilitigatoribus, qui verborum lenocinijs, & ampullis perſuaſorijs, auditorum aures, imo & judicium aliquo modo præoccupaviſſe videntur: neque illud ignoro, quanto in honore apud permul-

tos encomiorum fucatorum purpuriſſo deductos vina & reges habeantur, verum enim vero cum non tam dicentis authoritas, ejus in declamando facundia, in probando, partium connexio conſideranda, quam rei de qua agitur, præſtantia ponderanda ſit & veritas, vel hinc ſolum ego, qui iſtiuſmodi condiſcipulorum jactantijs, honorem & famam fæminarum imminui exiſtimavi, velut ſtimulis acutiſſimis incitatus ſuggeſtum aſcendi; mulieris videlicet potentiam omnium eminentiſſimam comprobaturus, rationibus tam validis, atque evidentibus ut non dubitem, quin ipſi antagoniſtæ, non vino, aut regi, ſed mulieri fortitudinis palmam ulnis ambabus ſint oblaturi. Vos interim (Viri Ampliſſimi) qui in commilitonibus meis audiendis humanitatem veſtram abundè teſtatam feciſtis, cum oculos, non iſtos errorum indagatores, ſed illos comitatis ac benevolentiæ pleniſſimos in me conjiciatis, veniæ impetrandæ dubitationem omnem a me abſtuliſtis, ut vel ultro mihi eam pollicear, nec neceſſe ducam, ſollicite conſuetam indulgentiam eblandiri. Quemadmodum agricolis, niſi ſentibus evulſis, non eſt conſultum agros conſerere; ita & mihi operę pretium feciſſe videbor, ſi antequam ad meam ſententiam ſtabiliendam accedam, cominus cum anteceſſoribus congrediar, eorumque deliramenta potius, quam argumenta perſequar, quid enim quęſo neceſſitudine vini, & regis ab eorum buccinatoribus callide pręterita, vetuſtas, utilitas, dignitas tam impenſe extollitur? Nonne ante vini inventionem, & uſum, mundum jam ſexdecim ſęcula extitiſſe, viguiſſe, floruiſſe legimus? Quis regis alicujus, ante Nimroth, pronepotem Noachi crudelem illum tyrannum in hiſtorijs fide dignis mentionem fieri vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Hypſea cæcioribus perſuaſerit? Muliere tamen totius terrarum orbis principem Adamum carere, in amœnis etiam Paradiſi ſedibus, rerum opifex prudentiſſimus inconveniens, incommodum, malum judicavit. Quam multæ regiones floribus vernantes, ſolo uberrimæ, viridarijs, pomarijs, hortorum delicijs ſcatentes, frumenti, & vinearum fertiliſſimæ, vini tamen uſum, & abuſum exterminant, atque averſantur? Quam infinitus regum numerus, qui poteſtate abutantur ſuâ, elatique ad voluntatatem fluente fortuna, affectibus indulgeant, bene monentibus aures non prębeant; quam multi qui nullis legibus ſubjectam libidinem quęrentes in immanes tyrannos tranſformentur, ſacra, profana; publica, privata abripiant; maximam perniciem rebus humanis invehant, minas, diſſidia, tumultus, pugnas, ſtrages inſontibus cauſentur, oppida ſubvertant, leges violent, reſpublicas ſuâ rapacitate ſpolient, miſerorum ſubditorum vitam, fortunas, libertatem ſurſum, deorſum ſua petulantia metiantur? Quam feliciter Athenienſes, regum ſuperbo, libidinoſo, periculoſo imperio ſublato, & populari regimine gaudentes, multa domi, militięque præclare, ac fortiter geſſerunt; præſidio ſuis, hoſtibus terrori extiterunt? Quam proſpere Lacedęmonij, Rhodij, Maſſilienſes, optimatibus in unum quaſi corpus coeuntibus, reſpublicas ſuas diuturnas, & florentes retinuerunt? Venetis, fortunatiſſimo illi Italiæ populo, civitatis ordo ariſtocraticus ante annos amplius mille ac ducentos, a primis authoribus conſtitutus, idem ſemper & integer permanet, nec adhuc ullis mutationibus fuit obnoxius. Non dicam Helvetios Auſtriæ principum tyrannidem, nobiliunque nimiam dominationem exoſos, ſeſe

 ab utro-

ab utrorumque injurijs, quatuor jam ferme ſęcula præclariſſime aſſeruiſſe. Patria noſtra, dulciſſimum hoc natale ſolum, quod Hiſpanos audacia furentes, ſcelera anhelantes, nobis interitum, patriæ exitium, poſteritati ſervitutem interminantes antea viderit, ſenſerit, ingemuerit, nunc vero quod eoſdem fœdere ſibi junctos habeat, non regi alicui, ſed (divino ita volente & dirigente Numine) præpotentibus Procerum ordinibus acceptum referri debet. Terram (A. H.) infinitarum hominum myriadum jam habitaculum vel cogitando ſolum ſine mulieribus effingere, quid aliud eſt, quam vaſtam ſolitudinem, & deſolationem certo futuram imaginari: nihil enim eſt, nihil dari poteſt muliere magis requiſitum, plus emolumenti rebuſpublicis, civitatibus, familijs adferens, majori ſolertia ſuæ potentiæ cuncta ſubjiciens. Nonne liberorum educationem, vitæ ſuſtentaculum. ſalutis fundamentum novimus? ſed fœminis ad enutriendos infantes quid magis conducens? quæ liberorum naturam, teneritatem, dolores agnoſcunt, vident quibus indigeant, imbecillitatibus occurrunt, cibis idoneis parva corpuſcula ſuſtentant, fovent alunt; domeſticorum vitia perferre, atque injurias ęquâ mente tolerare poſſunt, ad omnis generis officia familiam inſtruunt, eam in curam incumbunt, ut ordine recto ſingula fiant, & gerantur: non ijs induſtria, labor, ſtudium deeſt, non mentis, non ingenij dotibus deſtituuntur, non perſpicacitate viris, non conſilio, non ſententia cedunt, non artibus, alijs ſecundæ ſunt; quod Pagani olim non ignorarunt, facultatibus, & ſcientijs, Palladem, Muſas, aliaſque Deas præeſſe credentes. Non referam, artium neceſſariarum penetralia neminem mor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

talium mulieribus ſelicius perſcrutari, illas lanam, & colum tractare, conſuere lintea, nere, culinas obſervare, utiliſſima alia obire munera; laudes enim alijs non competentes memorare geſtio. Feroces hæ maritorum animos mitigant, lenes, placidos, tranquillos reddunt, concordem familiam, quietam rempublicam efficiunt. Raptas Sabinorum filias, Romanorum conjuges ex tranſverſo, impetu facto ſeſe inter tela intuliſſe volantia, virorum infeſtas parentumque diremiſſe acies, nec pacem modo, ſed civitatem unam ex duabus gentibus feciſſe, ſcriptis proditum accepimus. Non Romanorum bellica fortitudo, non ſenatus authoritas, non legatorum graviſſima argumenta, ſed mulieres Coriolani ab urbe impetum averterunt. Aſpaſiam uxorem quoties de rebus graviſſimis in conſilum Cyrus adhibuit, proſpera ſemper fortuna uſus eſt. Artemiſia Halicarnaſſi regina in expeditione illa contra Græcos ſuſcepta, & præclare multa, fortiterque geſſit, & ad imperandum Xerxe longè extitit aptior. Teleſilla præſidio, auxilioque nudatos Argivos cum paucis ſervis, & mulierculis armatis defendit contra Cleomenem. Et ut profanorum exemplorum cum ſacris juſta quædam detur temperies, quis ignorat Abigaëlem obviam proceſſiſſe Davidi, iram ejus mitigaſſe, mariti non ſolum a direptione opes, verum etiam vitam ab interitu vindicaviſſe: Iuditham magno cum reipublicæ emolumento, periculoſiſſimo obſidionis tempore in hoſtium caſtra profectam, & capite truncato exercitus Imperatore Holoferne, urbem

ab ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

ab obſidione, patriam a direptione, fœminas a ſtupro liberaviſſe? Eſtheram illam, quam tantopere litteræ Sacræ prædicant, non domum, familiam, aut urbem unam, ſed Iſraëlitarum genus univerſum, una die, uno nuncio, atque unica literarum ſignificatione cædi deſtinatum manibus & gladijs eripuiſſe Sicariorum? Non dicam, Deboram judicis politici fungentem munere, Cananæorum profligaſſe exercitum: Iahelem paxillo in tempora Siſeræ infixo peremiſſe militiæ principem: Semiramidem militia, triumphis, divitijs, victorijs, imperio omnes mortales anteceſſiſſe: Mitto Philen Demetrij regis uxorem, tumultuantes milites reprimentem, in ſeditionem lapſos revocantem: Zenobiam Palmyrenorum reginam Ægyptum, invito Aureliano principe, invadentem, ac cæſo præſide occupantem: Pulcheriam Theodoſij minoris ſororem, imperium Romanorum concuſſum reſtituentem: Nihil enim eſt quod mulieris potentiæ & ſortitudini non cedat. Samſonem, ſortitudinis illud miraculum, non hoſtium millibus ſolum ſuperabilem, leonibus, funibus, civitatum portis longè validiorem, a ſola muliercula devictum, captum, vinctum, & traditum hoſtibus legimus: Herculem immanis Cerberi domitorem, Hydræ colubris & capitibus pullulantis oppreſſorem, monſtrorum, gygantum, tyrannorum punitorem ſeverum, Omphalæ Lydorum reginæ ſervijſſe, aſſumptâque colo lanificium exercuiſſe, referunt annalium architecti. Salomonen, virtutum omnium velut quoddam compendium, nihilominus tamen mulierum pulchritudine, blan-

ditijs, illecebris, ita faſcinatum, ſic potionatum dogmata divina teſtantur, ut oblitus Dei Iſraëlis, palam ſe adorationi idolorum addicere non ſit veritus. Sardanapalum Aſſyriorum regem poſtremum mulieres eo veſaniæ perduxerunt, ut neglectâ prorſus majeſtate regali poſitis maſculi ſexus indumentis fœminam mentiretur, inter puellas, & eunuchos deliteſceret, atque omnis turpitudinis genus exerceret. Petrum Apoſtolum, tam animoſum, tanta dilectione Chriſtum ardentem, non Phariſæi, non cohortes Romanæ, ſed vilis, abjecta, oſtiaria, ſed ancilla in Domini ac Servatoris ſui abnegationem præcipitavit. Fœminarum virorumque primævam matrem, in ſcelerum nefarias molitiones, vitæ turpitudines, libidinum æſtus, vitiorum incredibile ſtudium, cruciatus miſerrimos, iram Dei infinitam, diaboli dominium, ſuppliciorum denique æternitatem, & maritum & poſteros fucatis ſermonibus abjeciſſe, quia ſumme dolet, retuliſſe pigeat. Martheſiam Amazonum reginam majorem Europæ partem ſubegiſſe: Helenam facem extitiſſe, quâ Troja arſit: Perſepolim totius orientis regiam, Græciæ quondam terrorem unicum Thaidis pellicis conſilio deletam, expoſuiſſe non ſit incongruum: memoraviſſe tamen præſtiterit, non viros, ſed fœminas, majori cum admiratione, magis inclyta cum laude ſcientiarum attigiſſe culmina. Sybillas, iſtas fatidicas mulieres ob ingenij celſitudinem ita dictas, quod Iovis conſiliorum conſciæ haberentur: Pythiam Apollinis reſponſa redden-

 tem:

tem: Diotimam Philoſophiæ tam peritam ut, Socrates ejus lectionibus intereſſe non erubuerit: Aſpaſiam ſapientæ, & rhetorices magiſtram: Sappho, poetriam, & carminis inventricem: Eruditiſſimam Gracchorum matrem Corneliam. Sed quo abeunt cogitationes? quid opus talibus veris, gravibus, invictis ſed tamen veteribus exemplis inniti? unum eſt quo Batavia noſtra gloriatur: unum inquam quod eximijs naturæ dotibus, doctiſſimis ingenij monumentis, litteraturæ ac ſapientiæ amplitudine Palladem in illuſtri famæ theatro nunc collocatam refert: Annam loquor, Mariam a Schurman, virginem illam Muſarum decimam, mulierum ſolem, naturæ miraculum, quam ob linguarum præſtantiſſimarum peritiam, Latini, Græci, Hebræi, Germani, Galli, Hiſpani, Britanni, admirantur, colunt, ſtupent; Chaldæi, Samaritæ, Arabes, Perſæ, Æthiopes, & alij laudant, ac venerantur: ob rerum naturalium & ſpiritualium cognitionem profundam hiſtorici, philoſophi, theologi, velut Lunam inter ſtellas minores ſummis honoribus proſequunter, & ne perſectionis faſtigio quippiam deeſſet, muſici, poëtæ, ſtatuarij, pictores, phrygiones, & innumeri artifices, tamquam ſobolem divinam ſuſpiciunt: pietas denique & virtutes omnes, ut filiam cariſſimam protegunt, atque exoſculantur. Muliere igitur (Aud: Hum:) nihil fortius, viribus celebrius, animi, & corporis prærogativis excellentius judicate; hanc ſolam ob morum probitatem, animi magnitudinem, prudentiæ gloriam, artium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

artium, & ſcientiarum decus, res proſperrimè geſtas, & vino, ac regi prælucere concedite: hujus amorem, favorem, inclinationem, victoriæ præmium ſponte aſſignando vobis conciliate; hic mentes, hic cogitationes figite, his curis incumbite, ut mulieris induſtria, labor, ſtudium reipublicæ utilitati familiis ſit ſaluti, ſoli Deo fœneretur, eique in ſolidum devotum eat.

Dixi

HUBERTUS BEETS.

CARMEN

Quod *MULIERE* nihil ſit fortius.

DEvia fucato cecinit ſermone Thalia
Hactenus, & patulas implevit vocibus aures
Vaniloquis procerum Pataræi ſacra colentum,
Falſaque mentito circumlita melle Camœnæ
Verba ſonant; igitur nebulis candore remotis
Nunc potiora canam, nunc veris falſa refellam;
Verſibus uxorum vires celebrare potentes
Mitior incipiet fidibus mea Muſa remiſſis;
Tu Via, Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Sancta Monaſque, Trias, genij tantummodo guttam
In venas diſperge meas, & Numine largo
Annue conanti mulierum extollere laudes.
Si quid in immenſa terrarum ſede meretur
Immortale decus, petit hoc præclara, decorum,
Fœmina, quæ partus læta, & fœcunda benigni
Utilitate ſui, vaſtæ baſis unica terræ eſt,
Pignora grata viris pariens,; niveiſque papillis
Immulgens nuper genitis alimenta, ciboque
Corpora ſuſtentans facili, tolerare dolores
Naturamque poteſt teneram, perferre malorum
Crimina ſervorum mitis, rectoque parare
Ordine quęque ſuo non inconſulta, laborem
Gnara domi ſolitum pueris aſſcribere, rixas
Iurgia, clamores, vanæ convitia linguæ,
Cumque maritorum ſectum ſtomachatur ob unguem
Ira, procelloſos furiarum provida fluctus
Protinus alloquij placidâ dulcedine ſedans:
Dotibus ingenij non eſt aliena, ſalubri
Conſilio non orba, viros ſæpe artibus omnes
Vincit Apollineis, & Pallade docta benigna,
Caſtalidumque choro, non ſolum penſa columque
Et fuſum tenui prægnantem ſtamine torquens,
Aut adolere focos, verubuſque trementia fruſta
Figere prompta, cavis epulas aut condere ahenis,
Sed longè graviora ſapit, majoraque confert
Humano generi, quam quæ quis carmine narret;
Ipſe parens primævus Adam, cui quælibet orbi,
Et Cœli ſubjecta globo, cui rorifer aer
Et tellus, quicquidque maris lata ęquora verrunt
Obſequitur, placidam longè producere vitam
Fœmineâ ſine ſorte negat. Sed pergito Clio
Perge precor memorare modis Mavorte ſecundo

Quod quoque laurigeras legio clypeata puellas
Vidit, anhelantum dirimentes ſæva virorum
Spicula, quodque animos concordi pace ligarint:
Æneadûm, cum Roma foret, compreſſa Sabinis,
Per chalybe indutos equites cane, & ære latentes
Cornipedes, ſævaſque acies, & dura cohortum
Agmina, vadentem genitricem Coriolani
Veturiam, quæ bella demat, patriæque redactæ
Ad rabiem ſummamque luem ſervilia collo
Vincula diſſolvat, gnatumque recedere cogat.
Profuerit retuliſſe tibi, Teleſilla, Pelaſgis
Auxilio veniſſe tuis, comitata quibuſdam
Mancipiis numero raris, & cincta catervâ
Matrum armatarum, quibus inſcia vincier ullis
Hoſtibus, Oebalios ſuperaſti rege repulſo.
Impavidus veluti viſo leo cominus hoſte
Subſidet, indomitas animo dum colligit iras,
Mox cervice toros quatit, & fremit ore cruento,
Obvia proſternens, & vivos unguibus artus
Abripiens ex hoſte ſuo: ſic magna virago
Iudith, ubi nullis leniri fletibus aures
Senſit Holophernis, quin ipſa Betulia, cæſis
Civibus, indomiti patiatur ſceptra tyranni,
Ingreditur ſpecie profugæ pulcherrima caſtra
Aſſyrij, perimitque ducem mox, ſomnia lecto
Ebria volventem placido, ſtrictoque ſuperbum
Decutit enſe caput, ſpolijſque potitur opimis.
Nonne immorigeram pharetrata Semiramis arcu
Imcomptis petijt Babylona furore capillis?
Imperioque Aſiæ tot ſubjeciſſe feroces
Dicta fuit populos, nulli ut virtute ſecunda
Extiterit: Quid plura canam, quod Ediſſa potentis
Aſſueri conjux formoſa, metuſque minaſque

In caput

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

In caput Hebræi generis quaſcunque pararat
Hoſtis in autorem ſceleris convertit Amanum:
Quid Deboram dare jura ſuis gentilibus: Hebri
Quod ſociata thoro perfregerit oſſa cerebri
Principis in Canaan; nam ſi mihi mille darentur.
Ora, tot & linguæ, nec non vox ferrea, cuncta
Non tamen enarrem, quæ non ſibi fœmina ſubdat.
Zargites digitis ſolitus lacerare leones
Magnanimos, ſtabileſque manu divellere poſtes
Portarum, funeſque novas diffringere tactu,
Pellicis inſidijs Dalilæ detonſus in ejus
Fallaci gremio, eſt Hetæo traditus hoſti.
Alciden, quem non ſeries immenſa laborum,
Non Iuno, non mille feræ, non Cerberus Orci
Tergeminus cuſtos vicit, nec bellua Lernæ,
Mæonis inſano ſic inflammavit amore,
Craſſa ut robuſto deducens pollice fila.
Penſa daret dominæ, muliebri indutus amictu,
Davididem regum quo non ſapientior alter,
Blanditijs, formaque ſua, ſic fœmina cepit,
Perfidus ut terræ, cælique Satore relicto,
Ludicra thuricremis placarit Numina flamnis.
Non Petrum Romana cohors, proceresve, ſed amplæ
Callida ſerva domus, habitu, cum noſſet & ore,
Impellit Chriſtum ut neget, & quoque triplicet amens;
Iuratus pro quo morti ſe voverat ante.
Sed quid opus priſcis tantum, quæ ſæcula priſca
Viderunt niti exemplis, Populonia mater
Nos vocat, ipſa ſuas, hæc noſtra Batavia natas
Exhibet a cunis dociles, & Pallade pronâ
Cynthij, & Aonias imitantes pectore lauros:
Præ reliquis Schurmanna tibi celeberrima laus eſt,
Sola apicem virtute tenes, & vertice tangis

Aſtriferi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Aſtriferi convexa poli ; te munere linguæ
Laudat Iber , Galluſque ferox , atque accola Rheni
Teuto , nec Hyblæo fluitantia verba Britannus
Ore cupit didiciſſe ſemel : te Dorica tellus
Suſpicit , & Latium , & gens edita ſemine Iudæ ;
Te pictus miratur Arabs , & ſolibus uſti
Æthiopes , Perſæque ſonos , & dicta ſequuntur :
Major adhuc tibi ſurgit honos , præconia poſcit
Ingenium majora tuum ; nam quid ſit honeſtum
Quid virtus quæris , quid ſit natura , Deuſque
Scrutaris , nivium , quæ fulminis exſtet origo
Quid ſtellæ , quid luna ferat , quid vaſtus aquarum
Gurges , & in terris quæ ſint pecudumque ferarumque
Ingenitæ vires , quæ ſint ſuprema verendi
Iuſſa Dei , & vafri nodoſa ſophiſmata Ditis
Cætera ſi referam , tot erunt tibi nomina verſu
Attribuenda meo , totidem præconia laudum ,
Græcia quot titulis tribuit facunda Camænis,
Fæminei idcirco mecum miracula ſexus
Commemorate viri , muliebris fama nepotum
Et decus & pretium ſuperet , dumque aurea volvet
Aſtra polus , nunquam perituro carmine vivat.

Cecini

HVBERTVS BEETS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 18